

Eccli. 51, 8. Eapropter dixit anime sue dum viveret: *Lauda, anima mea^c, dominum ... usque fuero*, Ps. [145, 2]. Pro V^o ·N· dicere valuit: *Ad te, domine, levavi animam meam; deus meus, in te confido; non erubescam*, Ps. 24^d, 1. Pro 6^o ·N· dixit anime sue: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi* [Ps. 114, 7]. Et dominus sibi respondeat: *Serve bone et fidelis ... usque gaudium domini tui*; in evangelio [Mt. 25, 21]. Quapropter suam exortans animam dicere potuit cum beato Augustino in libro de contemplacione Iesu Christi⁴⁾: *O anima insignita dei ymagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum angelis! Dilige illum, a quo tantum dilecta es. Intende illi, qui intendit tibi; quere querentem te, ama amatorem tuum, a quo amaris, cuius amore preventa es et qui est causa amoris tui. Ipse est meritum, ipse est premium. Ipse fructus, ipse usus, ipse est finis. Esto sollicita cum sollicito, cum vacante vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta. Qualem te deo preparaveris, talis oportet ut appareat tibi deus. O suavis et mitis et multe misericordie, ^esuaves et dulces^e et humiles et misericordes requirit. Ama illum, qui te deduxit de lacu miserie et de luto fecis. Elige illum amicum tuum pre omnibus amicis tuis, qui cum omnia tibi subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit; in die sepulture tue, cum omnes amici tui recedent a te, ille te non derelinquet, sed tuetur a leonibus infernalibus rugientibus preparatis ad escam; et conducet te per ignotam^f regionem atque perducet ad plateas superne Ierusalem. Et ibi collocabit te cum angelis ante faciem maiestatis sue, unde dicere potest: Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis deum, quanta fecit anime mee, Ps. [65, 16]. Ubi audiens illud melos angelicum, ubi est canticum letitie, vox^g exultationis et salutis et graciaram accio, vox laudis atque alleluia perpetuum. Hec ille, ut non indigne ·N· dicere possit: Ego autem in iusticia apparebo, in conspectu tuo saciabor, cum apparuerit gloria tua, Ps. 16, 15.*

3^o ostenditur triste spectaculum, cum dicitur: in oculis tuis. Unde ad Hb. 4, 13: *Omnia nudaⁱ et aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo. Vivus est enim sermo dei et efficax, pertingens usque ad*

^{c)} meam Ms.

^{d)} 34 Ms.

^{e)} suavis et miteres (?) dul Ms.

^{f)} ignoratam Ms.

^{g)} vos Ms.

ⁱ⁾ munda Ms.

⁴⁾ Migne PL 177, 182: Hugo von St. Viktor, *De anima*.